

spectantia, a modo in posterum non exigatis, nec exigere sitis ausi modo aliquali, sicut nostram gratiam cupitis obtinere. Ad cuius rei propter maiorem memorie firmitatemque perpetuam has nostras litteras priuilegiales sigillo nostro pendenti iussimus roborari. Datum in Castro nostro Clissie in die Sacra Corporis Christi de Anno Domini 1442.

Lucius I. Memorie Istoriche di Tragurio ora detto Traù p. 458.

CXXXIX.

Anno 1457. die 24. Februarii. Budae.

Decretum Ladislai Regis de proventibus mardurinalibus in Regno Slavoniae eodem modo dicandis et exigendis, quo proventus lucri camerae in Regno Hungariae dicantur et exiguntur.

Commissio propria Domini Regis.

Nos Ladislaus, Dei gracia Hungarie, Bohemie, Dalmacie, Croacie etc. Rex, Austrieque et Styrie Dux, nec non Marchio Morauie etc., significamus tenore presencium, quibus expedit vniuersis: Quod inter ceteros nuncios regni nostri Sclauonie ad nos missos, nostre Celsitudinis uenientes in conspectum Egregii et Nobiles, fideles nostri dilecti Henigus miles de Zumzedwar et Petrus filius Georgii de Byzad, Nuncii vniuersitatis Nobilium ac aliorum possessionatorum hominum Comitatus Zagrabiensis, in ipsorum ac eiusdem vniuersitatis nominibus et in personis, nobis ac Prelatis, Baronibus et Consiliariis nostris exposuerunt in hunc modum: Quod preteritis temporibus Vicebani dicti regni nostri Sclauonie, nec non Comites ac Vicecomites et Iudices Nobilium Comitatum eiusdem regni, item dicatores et exactores collectarum seu prouentuum mardurinalium, nobis ex eodem regno de antiqua consuetudine prouenientium circa dicationem et exactiorem eorundem prouentuum, plures nouitates ipsis Nobilibus et possessionatis hominibus ac Jobagionibus eorundem, non solum onerosas, verum etiam plurimum damnosas adinueniendo induxissent, et a multis iam temporibus preteritis incolas eiusdem Regni nostri diuersimode grauassent. Inter quas precipue hee essent: Quod vnumquemque villicum, qui ab huiusmodi collecta mardurinali omnino supportatus esse deberet, in vno floreno auri dicare, nec non de singulis dicis sex denarios Soldinos. Item de vnoquoque sigillo similiter sex denarios, et de quitancia seu expeditoria duodecim denarios extorquere. Item per portarium seu hostiarium ipsorum exactorum mardurinalium a quolibet villico intrante vnus denarius, et de singulis dicis similiter vnus denarius exigeretur et reciperetur. Preterea inquilini seu seruitores ipsorum Nobilium et possessionatorum hominum